Zu der

öffentlichen Prüfung

der

Schüler unserer Gelehrtenschule

Freitag den 29. März,

ladet

das Hochansehnliche Schulcollegium, den Hochlöblichen Magistrat,

so wie

alle Gönner und Freunde unserer Schule

ehrerbietigst und geziemend ein

Jürgen Friedrich Horn,
Rector.

Voran:

De forma et conditione orationis de corona a Demosthene apud judices recitatae

disputat A. Petersen, Subrector.

GLÜCKSTADT,
gedruckt bei *Johann Wilhelm Augustin.*
1844.

Orationes Graecorum Romanorumque aliquanto postquam habitae sunt ab oratoribus conscriptas et saepe multum immutatas esse ita ut scriptae, quae ad nostram aetatem pervenerunt, mirum quantum ab iis differant, quas dixerunt, nemo est qui nesciat. Antiqui enim scriptores jam discriminis aliquid interesse monuerunt inter eas, quas Demosthenes in concione vel coram judicibus habuerat atque eas, quas postea literis consignaverat, cujus rei testis est Plutarchus in vita Demosthenis c. 9. *Ἐπεὶ τόλμαν γε καὶ ϑάρσος οἱ λεχϑέντες ὑπ' αὐτοῦ λόγοι τῶν γραφέντων μᾶλλον εἶχον, εἴ τι δεῖ πιστεύειν Ἐρατοσϑένει καὶ Δημητρίῳ τῷ Φαληρεῖ καὶ τοῖς κωμικοῖς.* [1]) Quae differentia quanta fuerit etsi ex veterum testimoniis definiri non potest, una tamen Demosthenis oratio nobis restat, quam plane aliam atque diversam esse demonstrare possumus ab ea, quam orator ad judices habuit, ita ut pateat eam postea per otium ab oratore plane immutatam esse et talem editam, qualis lectorum animos optime conciliare atque in suas partes trahere posset. Jam pridem enim viderunt interpretes Aeschinis et Demosthenis (neque enim poterat eorum notitiam fugere) priorem in sua adversus Ctesiphontem oratione, quam et ipsam post causam illam peractam accuratius elaboravit atque diligenter perscripsit, saepius locos quosdam et dicta Demosthenis, qui tamen Ctesiphontis rei patronus post illum demum verba fecit, respicere atque ita causam perorare, quasi vel ipse sciret vel ab aliis accepisset, quid Demosthenes dicturus esset. Neque haec tantum ad tales res pertinent, quas adversarium tangere et in medium proferre necesse erat; sed tum totam formam et descriptionem orationis Demostheneae definit constituitque, tum etiam singula quaedam exempla et similia affert, quibus Demosthenem usurum esse dicit, quae non, ut Miltiadis, Themistoclis, Aristidis aliorumque nomina, tritissima erant et in omnium ore, sed singularia atque rarissima, quae nemo conjectura assequi posset. Hoc loco sufficiat ad unum illud, quod omnium maxime interpretes movit, delegare, Glauci dico Carystii et Philammonis,

---

[1]) De Romanorum orationibus v. Becker Handbuch der röm. Alterthümer T. I. p. 47, qui affert ipsius Ciceronis verba illa in Bruto 24. „Plerumque enim scribuntur orationes habitae jam, non ut habeantur."

quorum mentionem a Demosthene factam Aeschinem nisi ex ipsa oratione habita aliunde haurire potuisse nemo facile contendet. Locus exstat apud Aesch. in orat. adv. Ctesiph. §. 189. *καίτοι πυνθάνομαί γ'αὐτὸν μέλλειν λέγειν ὡς οὐ δίκαια ποιῶ,*[2]) *παραβάλλων αὐτῷ τὰ τῶν προγόνων ἔργα. οὐδὲ γὰρ Φιλάμμωνα φήσει τὸν πύκτην Ὀλυμπίασι στεφανωθῆναι, νικήσαντα Γλαῦκον τὸν παλαιὸν ἐκεῖνον πύκτην, ἀλλὰ τοὺς καθ'ἑαυτὸν ἀγωνιστάς.* Demosthenes enim revera in oratione sua de cor. §. 319., ut comparationem sui ab Aeschine factam cum veteribus illis, Miltiade, Aristide, Themistocle invidiosam et injustam esse probet, Philammonem propterea quod Glauco Carystio aliisque superiorum temporum athletis infirmior fuerit corona defraudatum non esse refert, sed quia omnibus, qui cum eo contendissent, praestiterit, coronatum et tanquam victorem renuntiatum esse. Quam rem diligentius consideranti dubium esse non potest, quin Aeschines hanc suam orationem, quae aetatem tulit, non ante conscripserit, quam orationem Demosthenis audivisset, quod etiam a multis interpretibus agnoscitur, ut a Wolfio ad Lept. p. 482., cujus verba haec sunt: „Orationes, quotquot ex antiquitate supersunt, quamvis pleraeque omnes post demum sint literis perscriptae, quam publice habitae essent, occurrunt tamen in iis loci artificiose sic commentati, ut in rem praesentem adducti non legere videamur elaborata, sed audire ex tempore fusa.“ Idem de hac ipsa oratione censet Bremius ad Aesch. adv. Ctesiph. c. 67. f. §. 203. in. „Hic locus, inquit, videtur, ut alii, demum post habitam Demosthenis *περὶ στεφάνου* orationem sic elaboratus esse.“ Neque aliter Dissenius tum in introduct. in orat. de cor. p. 154. 155., tum ad eum, quem supra respeximus, locum Demosthenis §. 318.: „Sed nunc confer cum toto hoc Demosthenis loco etiam ea, quae Aeschines p. 81. §. 189. respondet. Nam cum ederet orationem suam, etiam hunc locum sibi visus est refutare posse.“ Jam vero si vere ponimus, id quod ipsa disputatio magis confirmabit, Aeschinem semper eam, quam Demosthenes apud judices habuit, orationem respicere atque refutare, non inutile neque injucundum esse videtur, quoad ejus fieri poterit, hanc cum ea componere atque comparare, quam postea scriptam atque elaboratam nobis reliquit. De iisdem quidem locis disserit Westermannus in commentatione de Aeschinis oratione adv. Ctesiph., sed ita semper, ut inde colligat, alteram nos in manibus habere Aeschineae orationis recensionem, cui multa postea ab auctore adjecta atque inserta sint, ut omnia illa, quibus res ab Alexandro gestae, pugnae ad Issum, ad Arbela, ad Megalopolin contineantur. Id autem, quod nos explicandum sumsimus, discrimen illud, quod intercedat inter recitatam atque scriptam Demosthenis orationem exponere, atque de primaria

---

[2]) Illud h. l. omnem fidem excedit quod quis se audiisse fingit judicium ab altero de ea re latum, quam eo ipso temporis momento profert.

forma et conditione orationis de corona quid ex iis, quae Aeschines de ea tradat, concludi possit, constituere atque definire, ille quia ad rem suam nihil facere intelligebat praetermisit. [3])

Ut ad rem ipsam aggrediamur, primarius, unde tota fere disputatio nostra pendet, locus est ille, quem legimus apud Aesch. in orat. adv. Ctesiph. §. 54. 55., ubi haec habet: *καὶ γὰρ πυνθάνομαι μέλλειν Δημοσθένην, ἐπειδὰν αὐτοῖς ὁ λόγος ἀποδοθῇ, καταριθμεῖσθαι πρὸς ὑμᾶς, ὡς ἄρα τῇ πόλει τέτταρες ἤδη γεγένηνται καιροὶ, ἐν οἷς αὐτὸς πεπολίτευται. ὧν ἕνα μὲν καὶ πάντων πρῶτον, ὡς ἔγωγε ἀκούω, καταλογίζεται ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐν ᾧ πρὸς Φίλιππον ὑπὲρ Ἀμφιπόλεως ἐπολεμοῦμεν. τοῦτον δ᾽ἀφορίζεται τὸν χρόνον τῇ γενομένῃ εἰρήνῃ, καὶ συμμαχίᾳ, ἣν Φιλοκράτης ὁ Ἁγνούσιος ἔγραψε, καὶ αὐτὸς οὗτος μετ᾽ ἐκείνου, ὡς ἐγὼ δείξω. δεύτερον δὲ καιρόν φησι γενέσθαι, ὃν ἤγομεν χρόνον τὴν εἰρήνην, δηλονότι μέχρι τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ἐν ᾗ καταλύσας τὴν ὑπάρχουσαν εἰρήνην τῇ πόλει ὁ αὐτὸς οὗτος ῥήτωρ ἔγραφε τὸν πόλεμον. τρίτον δὲ, ὃν ἐπολεμοῦμεν χρόνον, μέχρι τῆς ἀτυχίας τῆς ἐν Χαιρωνείᾳ. τέταρτον δὲ, τὸν νῦν παρόντα καιρόν.* Primum, quod inde recte nobis argumentari posse videmur, hoc est: Si vere haec, quam ponit Aeschines, fuit vel in tota oratione Demosthenis vel certe in maxima ejus parte rerum dispositio et partitio, Aeschines hoc nisi ex ipsa, quam dixit orator, oratione petere non potuit. [4]) Nam etiamsi concedimus, multa fando audiri posse, tamen nunquam orator aliquis cum adversario aut ullo eorum hominum, qui ei talia referre possent, totam viam et rationem, qua causam agere in animo habebat, neque communicavit neque communicare potuit, quia, si id faceret, ipse inimico quasi arma, quibus se optime impugnaret, subministraret. Sed quum et multi loci satis probent et peritissimus quisque harum rerum judex profiteatur, Aeschinis orationem, quae scripta exstat, post litem demum oratam vel compositam vel commutatam et retractatam esse, nemo facile negabit etiam haec dicta, quibus idem illud, quod saepius infert, *πυνθάνομαι* vel *ἀκούω* vel *φησὶ* praemittitur, ex ea, quam peroravit Demosthenes in lite, fluxisse, ideoque Aeschinem ibi verum, quem fecit Demosthenes, rerum ordinem et divisionem significare eique se in scripta oratione accommodare. Neque tamen hoc observavit Dissenius, qui

---

[3]) Eandem hanc rem tractare videtur A. F. Wolper de forma hod. orationis Demosth. pro cor. Lips. 1825; sed hunc libellum adhuc mihi comparare non potui.

[4]) Mire sane Westermannus l. l. p. 17. totum hunc locum in numero verarum quas dicit subjectionum (ὑποφορῶν) refert, a quibus supposititias distinguit p. 16. Ita enim ille ibi: Tale quid Demosthenem ante dixisse credibile et rei consentaneum est.

non recte ipsi Aeschini hanc partitionem tribuit, quasi ipse eam sibi elegisset, his verbis p. 141.: „Haec ut ordine persequatur, dispescit vitam publicam et facta Demosthenis in quatuor tempora." Quamquam autem Aeschines illud prae se fert, tamen si orationem de corona vel potius expositionem rerum gestarum accuratius inspexeris atque consideraveris, illum ordinem atque partitionem non ubique in ea animadvertes, sed multo majorem partem longe aliter comparatam esse confiteberis. Sed ut rem qualis est dilucidius proponamus, hic statim adsumendus est locus ille, ubi Aeschines a judicibus petit, ne Demosthenem suum ordinem sequi patiantur, sed eundem, quem ipse fecerit. adv. Ctesiph. §. 202 et 203. *ἀξιώσατε τὸν Δημοσθένην τὸν αὐτὸν τρόπον ἀπολογεῖσθαι, ὅνπερ κἀγὼ κατηγόρηκα. ἐγὼ δὲ πῶς κατηγόρηκα;* Jam Aeschines se primum ad eas leges provocasse narrat, quae vetent, ne quis ante rationes redditas coronetur, deinde de iis legibus disputasse, quae de coronationibus pronuntiandis agant quibusque omnino interdicatur ne qua coronatio a populo decreta extra concionem praedicetur. ib. §. 204. Atque haec de se ipso professus judices his verbis exhortatur §. 205.: *οὕτω δὴ καὶ τὸν Δημοσθένην ἀξιώσατε ἀπολογεῖσθαι πρὸς τὸν τῶν ὑπευθύνων νόμον πρῶτον, καὶ τὸν περὶ τῶν κηρυγμάτων δεύτερον, τρίτον δὲ τὸ μέγιστον λέγω, ὡς οὐδὲ ἄξιός ἐστι τῆς δωρεᾶς.* Haec si quis legat, oratione Demosthenea non ante cognita, non poterit, quin sibi persuadeat, Demosthenem initium dicendi cepisse ab Aeschinis vel etiam sua ipsius vita tum privata tum publica, quod ipsum Aeschines ita notat §. 203: *οὔτε τὸν ἴδιον βίον τὸν Δημοσθένους πρότερον διεξῆλθον, οὔτε τῶν δημοσίων ἀδικημάτων οὐδενὸς πρότερον ἐμνήσθην,* [5]) et sub finem demum totius libelli de vera causa litis h. e. de coronatione in theatro, quam Ctesiphon rogaverat, et ante quam Demosthenes rationem reddidisset, disseruisse, quod testantur etiam haec verba Aeschinis §. 205.: *ἐὰν δ' ὑμῶν δέηται συγχωρῆσαι αὐτῷ περὶ τῆς τάξεως τοῦ λόγου,* [6]) *κατεπαγγελλόμενος ὡς ἐπὶ τῇ τελευτῇ τῆς ἀπολογίας λύσει τὸ παράνομον, μὴ συγχωρεῖτε.* Jam vero si ad ipsam, quae superest, orationem Demosthenis animum applicamus, facile intelligimus eam ita ut Aeschines eam describit constitutam atque efformatam non esse. Nam quamquam post brevissimum exordium §. 1—9. ad se suamque vitam et rei publicae administrationem transit orator atque huic libellum ipsum ab Aeschine archonti traditum interponit §. 53—55., cujus ordinem se servaturum esse declarat, [7]) tamen coronatio-

---

[5]) Ibi enim haud dubie animo supplendum est: ita ut adversarius rem suam egit.

[6]) Haec manifesto pertinent ad illa verba, quae initio orat. de cor. §. 1 et 2. legimus: *μὴ τὸν ἀντίδικον σύμβουλον ποιήσασθαι περὶ τοῦ πῶς ἀκούειν ὑμᾶς ἐμοῦ δεῖ — ἀλλὰ καὶ τὸ τῇ τάξει καὶ τῇ ἀπολογίᾳ,* quod non recte negat Dissen. ad §. 2.

[7]) §. 56. *τὴν γὰρ αὐτὴν τούτῳ (Αἰσχίνῃ) ποιησάμενος τῶν γεγραμμένων τάξιν.*

nem legesque et de loco et de tempore ejus non ut divinandi quasi mente praeditus praedixit Aeschines *ἐπὶ τῇ τελευτῇ τῆς ἀπολογίας*, sed in media oratione vel potius ante mediam aggreditur. Nam quum tota oratio ex Beckeri divisione **324** paragraphos complectitur, quaestionem illam de rationibus reddendis pertractat §. **111**—**119**. et de loco, ubi coronandus sit, in theatro an in concione §. **120**—**122**., ita ut multo longissima pars defensionis restet. Quid igitur, hoc jure quaeremus, faciemus adseveratione illa Aeschinis, qua Demosthenem hoc ultimo loco positurum esse affirmat. [8]) Nonnisi tres viae suppetunt hujus rei expediendae. Aut enim ex suo ingenio hoc finxit Aeschines neque post auditam orationem Demosthenis dignum censuit, quod omitteret aut mutaret, aut ex aliorum narratione hausit, aut, quod in tot exemplis argumentorum et dictorum ab ipso Demosthene petitorum [9]) unice verum esse videtur, ex ipsa Demosthenis defensione sumsit. Ejusmodi enim rem non facile quisquam divinabit neque ab alio quodam cognoscet, neque tanti momenti erat, ut Aeschines hoc ad lectorum animos ab inimico abalienandos mentiri operae pretium habere posset. Quodsi igitur recte inde colligimus, Aeschinem ibi orationem, quam Demosthenes in judicio habuit ejusque partes vere describere, sequitur ut ab ea mirum quantum distet illa, quam postea edidit, neque in singulis tantum verbis et sententiis, sed in tota dispositione et partitione. Ea enim, quae nos nunc mediae orationi inserta legimus de ratione coronandi, in priore illa sub finem demum subjecta et postposita erant. Neque temere hoc postea immutavit sagacissimus ille orator, quippe qui probe sciret tum male se de gravissima hac re postremo loco dicturum esse, tum id quod cuivis patet haec quae infirmissima in argumentatione sua essent, optime mediae orationi injici, quam etiam ipsa rhetorica regulam proponit. [10]) Illud discrimen autem magis etiam apparebit, ubi reliqua, quae Aeschines primo isto loco commemorat, consideraverimus. Quae enim de publica vita Demosthenis criminatur, ea omnia ita se percensuisse adseverat, ut ipsius adversarii vestigiis ingrediatur. Videamus igitur singula ejus verba, quae jam supra attulimus. Quatuor ibi partes omnis vitae suae publicae distinguere velle Demosthenem refert. Nonne verbum *καταριθμεῖσθαι* (enumerare) paene ex ipsa

---

[8]) Quod Aeschines §. **205**. Demosthenem hunc locum plane praetermissurum esse dicit: *οὐ γὰρ εἰσαῦθίς ποτε βούλεται πρὸς τὸ παράνομον ἀπολογεῖσθαι*, mera calumnia est, quum ipse §. **35** de lege Dionysiaca ab adversariis in auxilium vocata mentionem faciat.

[9]) Multa id genus enumerat Westerm. l. l. p. **16**—**21**, et plurima nos etiam postea in nostrum usum convertemus.

[10]) cf. Jacobs Einleitung zu der Rede über die Krone p. **452**, qui locos Libanii ex argum. hujus orat. et Quinctiliani laudat.

alterius oratione petitum esse videtur, nonne in seqq. verbum *καταλογίζεσθαι*, quod idem sonat, accuratissime dictum est, nonne repetitio ejusdem rei §. 56. f. *ἀποκρίνομαι, ὅτι ἁπάντων τῶν τεττάρων καιρῶν κατηγορῶ σου, οὓς σὺ διαιρῇ* et §. 57. *καὶ χρήσομαι τῇ τοῦ λόγου τάξει ταύτῃ, ἣν τοῦτον πυνθάνομαι μέλλειν ποιεῖσθαι* omnem de rei veritate dubitationem tollit? Quomodo enim quis tam audacter a quoquam talem rem vel confictam esse vel confingi posse sibi persuadeat, nisi certe aliqua ejus generis mentio habita est. Attamen in Demosthenis scripto nihil inest de quatuor illis partibus et ne potuit quidem, quia non uno tenore ibi res a se gestas persequitur, sed haec narratio ea, de qua diximus, disputatione de rationibus redditis et de corona abrumpitur et in duas a semet ipsis disjunctas partes dividitur. Quod cur factum sit, quum demonstrasse mihi videar, simul etiam intelligitur, quae res oratorem nostrum adduxerit ut haec, quae tum stare non poterant, aliter conformaret atque componeret. Multa tamen illius dispositionis atque partitionis vestigia etiam in nostro libello relicta esse infra videbimus. Jam vero ut ab ea parte exordiar, quae maxime omnium probat, quantum intersit inter eam, quam Aeschines audivit, orationem et eam, quae in nostris manibus est, ubi tandem in tota oratione pro corona de quarto eodemque ultimo loco agitur, de iis, quae gesserit Demosthenes post pugnam ad Chaeroneam commissam. cf. adv. Ctes. §. 55.: *τέταρτον δὲ, τὸν νῦν παρόντα καιρόν*, quibus verbis ex §. 57. *λέξω δὲ — τέταρτον περὶ τῶν νῦν καθεστηκότων πραγμάτων* et ex §. 159.[11]) maxime ea, quae Philippo mortuo et Alexandro regnante facta sunt, innuit. Hujus autem temporis, quod Demosthenes tanquam singulare quoddam, de quo ageret, sibi proposuisse dicitur, tam pauca indicia in ejus oratione reperimus, ut Westerm. l. l. inde, quamquam non recte, ut docuit Rauchenstein de tempore, quo Aeschinis et Demosthenis orationes Ctesiphonteae habitae sint, colligere posse sibi visus sit, has orationes jam Ol. 111, 3. habitas esse atque ea omnia, quae Aeschines commemoraverit post illum annum facta, postea demum adjecta esse. Nominat quidem Alexandrum Demosthenes pluribus locis, ut §. 51. 52. 270. 297., sed semper obiter tantum et in transitu, neque ullum verbum de se suisque vel Aeschinis factis illius temporis profert, quod si Aeschinea sola oratio superesset nemo fere putaret. Quomodo igitur hoc explicemus? dicamusne Aeschinem verba illa certissima minimeque dubia aut ambigua, quibus quartam de hac re partem disputationis suae Demosthenem fecisse de industria affirmat, ex suo protulisse atque excogitasse,[12]) etsi, quum haec scriberet, a Demosthene nihil ejusmodi in me-

---

[11]) Ibi etiam quasi ab adversario provocatus: *Ἵνα δ' εἴπω*, inquit, *καὶ περὶ τοῦ τετάρτου καιροῦ*.

[12]) Westerm. l. l. p. 14 silentium illud Demosthenis ita explicandum esse censet,

dium prolatum esse cognitum habebat, an Demosthenem in ea, quam apud judices oravit, oratione quidem talia elocutum esse, sed postea in mutata et retractata omisisse. Hoc posterius certe multo verisimilius esse videtur, praesertim quum caussam perspicere, cur ita egerit orator, non difficile sit. Nam quia in ipsius etiam Alexandri manus hunc libellum editum facile pervenire posse vel potius certissime perventurum esse sibi persuadere poterat, prudenter eum ipsum ejusque agendi rationem quam minime tangendam et impugnandam esse censuit. Ipsi enim orationi etiam illis partibus demtis jam satis inesse, quae ei displicerent. Sibi ipsi, quem ille jam expoposcisset, (cf. Dem. §. 322.) maximum periculum fore, si rex ipse maledictis et cavillationibus exacerbatus eum ulcisci animum induceret. Hoc etiam innuit §. 51., ubi Aeschinem amicitia atque hospitio Alexandri indignum esse judicat. Neque profecto tempora illa, quibus extrema pericula obierat Demosthenes ob patriae amorem studiumque, quo et Philippi et Alexandri consiliis adversus Graeciae libertatem initis se semper objecerat, minimi momenti erant ad animum, quo patriam et universam Graeciam in libertatem vindicare studuisset, docendam atque probandam; quare proni sumus ad credendum, his etiam rebus illum usum esse in se suaque causa defendenda. Praeterea multum in ea re fuisse illum testatur Aeschines §. 223. *πολὺν μὲν τὸν Ἀλέξανδρον καὶ τὸν Φίλιππον ἐν ταῖς διαβολαῖς φέρων*, quae tamen fortasse non ad solam hanc orationem referenda sunt. At procul dubio huc pertinet illud, quod Aeschines ex Demosthenis oratione petitum nobis refert §. 219. *ἀπηνέχθη γὰρ ἡ κατὰ τοῦδε τοῦ ψηφίσματος γραφὴ, ἣν οὐχ ὑπὲρ τῆς πόλεως, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς πρὸς Ἀλέξανδρον ἐνδείξεώς με φῄς ἀπενεγκεῖν, ἔτι Φιλίππου ζῶντος*, (cll. §. 215 et 216.) cujus tamen in nostra oratione ne vestigium quidem relictum est. Demosthenes tamen ibi haud dubie intellexit renovatam illam atque denuo inchoatam litem post octo annos, quam incepta erat. Quaenam illa fuerint, quae ex Alexandri temporibus de se praedicaverit Demosthenes, ex oratione adv. Ctesiph. cognosci non potest, quia uterque ea tantum ubique effert, quae in una quaque re ad se extollendum et ad inimicum elevandum faciebant iis neglectis, quae sibi ipse damno fore sentiebat. Quare saepe ex iisdem rebus gestis plane diversa expromunt atque accuratius explicant. Neque sola conjectura niti quidquam attinet.

Tres reliquae partes, quas ex Demosthenis divisione facit Aeschines l. l. quamquam non tantum quantum quarta illa abhorrent ab oratione de corona, quae in lucem prodiit, tamen neque ibi desunt, quae indicent, etiam has a Demosthene multis locis postea mutatas atque retractatas esse. Nam etsi Dissen.

---

ut eum hanc partem orationis audiisse dubitet, eodemque modo Dissen. in introduct. p. 151.

in introduct. p. 151. profitetur, quae ille usque ad §. 290. de rebus gestis suis exposuerit trifariam divisa, respondere tribus partibus vitae prioribus ab Aeschine descriptis, hoc tamen ne ex ipsius quidem argumento quod exhibet illius orationis satis patet. Ex tribus illis partibus, quas ponit omisso exordio et exitu, (cf. Introd. p. 142. 144. 148.) §. 9—52., §. 53—125., §. 126—291., quae ex Dissenii sententia oppositae essent tribus istis partibus orationis Aeschineae §. 57—78., §. 79—105., §. 106—158. nonnisi una eaque tertia in utriusque oratione vere convenit, in duobus prioribus autem Demosthenes, si pauca quaedam hic illic interjecta excipias, rerum gestarum ordinem persequitur ita tamen ut has partes non distincte discernat, quod et ipse Dissen. ad §. 17. de cor. vidit annotans: „Aeschines de his rebus loquitur in prima parte vitae publicae Demosthenis et initio secundae.“ Ceterum neque hic silentio praetereundum mihi esse videtur, quod Demosthenes omnia quae de primo tempore commemorat ipsi defensioni ut extra caussam posita praemittit. cf. §. 9. *ἀναγκαῖον εἶναι νομίζω καὶ δίκαιον ἅμα βραχέα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, περὶ τούτων εἰπεῖν πρῶτον, ἵνα μηδεὶς ὑμῶν τοῖς ἔξωθεν λόγοις ἠγμένος, ἀλλ'* etc. Neque hoc de initio tantummodo intelligi vult, sed de tota hac peroratione. Nam §. 34 et §. 50. idem repetit atque item post legem de coronatione lectam §. 57 et §. 60. Ibi igitur veram defensionem incipere dicemus, non alteram partem, ut in priore illa oratione, de qua Aeschines cogitavit.

Prima illa parte orationis de corona §. 52., quam distinguit Dissen. l. l., agit quidem Demosthenes §. 18—32., ut debebat, quia hic primus accusationis locus fuerat, non minus quam Aeschines de pace illa Philocratea Ol. 108, 2. a. p. Chr. n. 346 ab Atheniensibus decreta, quam Aeschinis aliorumque culpa Philippus aliquot demum mensibus post jurejurando interposito confirmavit [13]) et de caussis ejus legationibusque propter eam susceptis, sed neque de his solis loquitur neque ita ut hac pace tempus illud absolutum atque a ceteris sejunctum esse dici possit, quod de eo contendit Aesch. adv. Ctesiph. §. 54. *τοῦτον δ' ἀφορίζεται τὸν χρόνον τῇ γενομένῃ εἰρήνῃ.* Sed multas etiam alias res, quae post illam confectam evenerunt, [14]) commemorat, ut §. 32 et 35. ea quae de Philippi consiliis in Atheniensium concione ementitus sit Aeschines, quum ab ultima legatione, qua Philippum jurejurando adegerat, revertisset; deinde §. 36. Phocensium calamitatem atque interitum, quem, ut temporum ratio postulat,

---

[13]) De historia horum temporum constituenda post Winiewski in commentariis historicis et chronologicis in Demosth. orat. de corona nuper optime meruit C. G. Böhnecke Forschungen auf dem Gebiete der att. Redner und der Geschichte ihrer Zeit. Berl. 1843, quos semel laudatos volo.

[14]) Diserte hoc enuntiat orator §. 32. in. *ἐπειδὴ γὰρ ὤμοσε τὴν εἰρήνην Φίλιππος.*

Aeschines initio sequentis capitis refert §. 80.; et quamquam §. 42. animo recurrit orator ad illam pacem, de qua jam dixerat, tamen nihil nisi in memoriam eam revocat et statim ad res postea gestas denuo progreditur §. 43., ubi Athenienses quamvis invitos illam pacem servasse dicit; tum §. 44. de Illyriis domitis Ol. 108, 4. a. Chr. n. 345, de Triballis devictis eodem anno, postremo §. 45—52. de rerum conditione qualis fuerit, dum pax illa manebat, atque de proditoribus Graeciae disputat. Unde patet §. 36—52. ad hanc partem ex ea divisione, quam Demosthenes in priore oratione fecisse probabile est, non pertinuisse, sed vel alterius fuisse vel omnino aliter constitutas fuisse. Contra in hac nostra oratione Demosthenes hanc partem ulterius extendit et Thebanas tantummodo res hujus loci esse negat (cf. §. 41. f. et §. 42. in.), in secunda tamen identidem in eadem illa tempora regreditur. Quamobrem autem sagacissimus et callidissimus orator post longiorem meditationem haec aliter instituerit, in promtu est. Quum enim pax illa et omnium malorum Atheniensibus caussa atque initium fuerit et, ut conjectura non incerta assequi possumus,[15] ipso Demosthene suadente et incitante composita sit, Demosthenes, qui hoc tenebris involvere cupiebat,[16] satius duxit minus illi paci tribuere neque lectorum animos ad eam inprimis convertere, quod multo facilius efficere poterat, si plura alia huic eidem parti immisceret itaque legentium aciem praestringeret.

In altera atque tertia expositionis historicae parte, quam Aeschines Demostheni tribuit, longe plura inveniuntur, quae in nostra oratione retinuit orator. Nam primum descriptio et divisio horum temporum apud utrumque eadem apparet, quum Aeschines altera parte pacis tempora usque ad Ol .109, 3. vel 4. complectitur (cf. §. 55.) et tertia reliqua Graecorum fata usque ad pugnam Chaeronensem, idemque Demosthenes in edita oratione ipse profitetur §. 139. *καὶ τὸ μὲν δὴ πρὸ τοῦ πολεμεῖν φανερῶς συναγωνίζεσθαι Φιλίππῳ* sqq. Atque hoc quidem non parvum momentum affert ad probandum, illa, quae de partitione Demosthenis nobis exhibeat Aeschines, revera ex ipsius Demosthenis oratione, quam habuit apud judices, profecta esse. Nam quamquam ea ex rei natura procedit eique aptissima esse videtur, tamen Aeschines non tam certe et firme id praescire aut adseverare potuisset, nisi ipsa lite perorata edoctus fuisset. Tum vero etiam reliqua, quae hactenus attulimus, aliter in priori illa oratione a Demosthene recitata dicta esse, aliter postea litteris mandata atque edita, haud dubie recte conjecimus. De iis, quae apud Demosthenem ipsi disputationi vel praemissa vel inspersa sunt, ut ea, quae strictim de rationibus reddendis §. 58. et de necessitate res Graecas attingendi §. 59. et de conditione statuque patriae §. 60

[15]) cf. Winiewski l. l. p. 77. et Böhnecke l. l. p. 199.

[16]) cf. de cor. §. 21. *οὐδέν ἐστι δήπου πρὸς ἐμέ. — ἐγὼ δ'οὐδὲν οὐδαμοῦ.* cll. §. 75 et 76.

et 61. atque de via profert, quae Atheniensibus ingredienda sit ad libertatem defendendam (quem locum, quippe qui ad ipsam causam dijudicandam pertineret, fusius pertractat §. 63—69. et unde ad suas ipsius res gestas occulte transit §. 70 et 71.) et quae subjungit de claris majorum factis §. 96—100. quaeque agit de lege trierarchica §. 102—109., quam tangit Aesch. §. 222., et de calumniis §. 123—125. utrum in priori illa oratione apud judices ita jam exstiterint an postea inserta vel mutata sint, decerni nequit. Sed hoc tamen repetam, harum rerum narrationem Demosthenem ita incipere, quasi initium facturus esset totius defensionis atque memor eorum, quae antea jam dixerat, ita ut illa prooemii loco usurpata esse non temere diceremus. cf. §. 60. *ἃ μὲν οὖν πρὸ τοῦ πολιτεύεσθαί καὶ δημηγορεῖν ἐμὲ προὔλαβε καὶ κατέσχε Φίλιππος, ἐάσω.* et §. 73—75., ubi idem illud, quod antea jam certissime pronuntiaverat §. 21. *ἐγὼ δ' οὐδὲν οὐδαμοῦ,* decretis prolatis probat. His autem missis eaedem res apud utrumque oratorem tractantur, maxime res Euboeensium et Peloponnesiorum. Ubi in transeundo monendum esse videtur id quod jam Dissen. in comm. observavit, Byzantinorum mentionem,[17]) quam Aeschinem in oratione fecisse dicit noster §. 95. *τὰς βλασφημίας, ἃς κατὰ τῶν Εὐβοέων καὶ τῶν Βυζαντίων ἐποιήσατο* atque iterum §. 238. *ἢ τὰ πρὸς Βυζαντίους* (sc. *δίκαια*) postea omissam esse.

Quae jam apud Demosthenem sequuntur §. 111—119. et §. 120—122. de tempore et loco coronationis, h. l. in recitata oratione adesse non potuisse supra jam demonstravimus. Sed in ipsa etiam argumentatione nonnulla quamvis levissima vestigia insunt, quae ad hunc nostrum libellum non quadrant. Primum enim ubi de rationibns ante reddendis agit, Aeschines ita §. 13: *λέξουσι δὲ, ὦ Ἀθηναῖοι, καὶ ἕτερόν τινα λόγον ὑπεναντίον τῷ ἀρτίως εἰρημένῳ. ὡς ἄρα ὅσα τις αἱρετὸς ὢν πράττει κατὰ ψήφισμα, οὐκ ἔστι ταῦτα ἀρχὴ ἀλλ' ἐπιμέλειά τις καὶ διακονία· ἀρχὰς δὲ φήσουσιν ἐκείνας εἶναι, ἃς* etc. At de illo munerum discrimine, quod statuerint Demosth. et Ctesiphon, (postea nomina ipsa infert §. 28.) in nostra oratione nihil habemus. Sed in hac re tamen non possumus, quin dubitanter aliquid contendamus. Nam quia uterque respicitur, potuit quidem Aeschines hoc de uno Ctesiphonte intelligere, praesertim quum hujus etiam orationem a Demosthene ei inculcatam esse significet.[18]) Hoc ipsum etiam in illa valere potest, quae Aesch. §. 28. de Demosthene et Ctesiphonte declamat: *ἀλλ' ἀντιδιαπλέκει πρὸς τοῦτο εὐθέως, λέγων, ὡς οὔτ' ἔλαχε τειχοποιὸς, οὔτ' ἐχειροτονήθη ὑπὸ τοῦ δήμου. καὶ περὶ τούτου Δημοσθένης μὲν καὶ Κτησιφῶν πολὺν ποιήσονται λόγον.* Nam quum tot hy-

---

[17]) Nominat quidem eos Aeschin. §. 256.; sed hoc ibi intelligi non potest.

[18]) cf. orat. adv. Ctesiph. §. 201. *τοῦτο δὴ τὸ συντεταγμένον αὐτῷ προοίμιον.*

perbolis et veritatis superlationibus usi sint oratores,[19]) cautius de tali re judicandum esse videtur, si ut h. l. in universum tantummodo quid enuntiatur. Altero argumento, quod refutat **Aeschines**, vere utitur **Demosthenes**, qui judicibus persuadere studet, ejus pecuniae, quam de suo in rem publicam erogaverit, rationem sibi reddendam non esse. **Dem.** §. **111.** sqq. cll. **Aesch.** §. **21—23. De** coronatione in theatro etiam uterque orator disputat, plura quidem **Aeschines** §. **32—48.**, pauca tantum **Dem.** §. **120—122.**; sed quamquam lex, quam in suam rem convertit **Demosth.**, ipsa illa est, quam **Dionysiacae** nomine nobis designat **Aeschines**, tamen alter ab altero ita discrepat, ut, quum leges ipsae, quae in disceptationem veniunt, non supersint, vix ullum judicium satis certum de ea re ferre possimus atque viri docti in diversas partes abeant. **Sed** quidquid de veritate argumentorum, quae afferunt, et criminum, quae in se invicem ingerunt **Aesch.** §. **35. 37. 41. 48.** et **Demosth.** §. **121.**, judicamus, hoc tamen mihi persuasissimum est, neque ex rei natura neque ex iis, quae **Aesch.** testatur, haec ita, ut nunc habemus, ad judices dici potuisse. **Nam Demosthenem** ibi de ea lege, qua adversarius vel maxime nitebatur, nihil locutum esse, sed illa plane neglecta aliam quandam, **Dionysiacam**, ut ex **Aesch.** §. **35.** discimus, eamque ambiguam in suam rem convertisse, tum per se non satis verisimile esse videtur tum etiam ex **Aeschinis** verbis §. **36.**: *καὶ λέξουσιν, ὡς εἰσὶ τῇ πόλει δύο νόμοι κείμενοι περὶ τῶν κηρυγμάτων, εἷς μὲν, ὃν νῦν ἐγὼ παρέχομαι — ἕτερον δὲ εἶναι νόμον φήσουσιν ἐναντίον τούτῳ* id refelli potest. **Neque** quisquam mihi objiciat hanc causae partem **Ctesiphontem** sibi defendendam sumsisse, quod ex **Aeschine** §. **35.** recte concluditur. **Sed** si summus ille orator hanc rem omnino attigit, tum non ita eam exposuit, ut caput rei plane praetermitteret, quum uno tantum verbo ad socium illum provocare posset. **At** postea quum non tam orationem ad judices sui in omnibus vel levissimis rebus purgandi caussa, sed potius totius vitae et rei publicae administrationis suae defensionem scriberet, qua omnibus **Graecis** atque hominibus integritatem suam et patriae amorem ante oculos poneret, talis res minimi momenti erat atque paucis tantummodo perstringi poterat. **Aeschines** contra multus est de ista duarum legum, quas profert, discrepantia, quam adversarii probare studuerint et quam ipse aut esse aut esse posse praefracte negat cf. §. **36—40. Atque** haec ratio multo praestabat ad auditorum animos sibi conciliandos, qui vel minimo vitio in lege illa a **Ctesiphonte** lata facile adduci poterant, ut eum condemnarent. **Praeterea** quod **Demosthenes** §. **120.** ad refutanda adversarii argumenta adhibet, coronationem propter coronantes fieri, qui ita ad bene faciendum excitentur atque impellantur, id quoque postea demum mihi adjectum esse videtur, nisi **Aeschinis** memoria exciderit.

---

[19]) Exempla ubique invenias in Weiskii libro de hyperbole.

Aliter enim dicacissimus hic orator haud dubie ea ut multa alia risisset atque cavillatus esset. Restat jam tertium idque gravissimum vitae atque factorum Demosthenis caput, quod orationis de corona multo longiorem partem complectitur §. 139—290. a belli initio usque ad cladem illam fatalem, qua ad Chaeroneam Graeciae libertas atque salus interiit. Ad summam autem hujus rei, bellum ipsum verasque ejus caussas minus vel potius omnino non aggreditur Aeschines, sed levioribus quibusdam rebus atque momentis inhaeret, ut templi Delphici contemtui et foederis cum Thebanis icti iniquitati, quae ipse affert tanquam ea, de quibus sibi agendum sit. §. 106. Non igitur mirandum est, quod hic minus nobis dijudicandi potestas facta est, quid ex priore oratione retinuerit orator noster, quid postea addiderit. Quare pauca tantummodo significare possumus, quae huc pertinent. In altera parte, quae spectat ad caussas atque ortum belli istius perniciosissimi, (Aesch. §. 106—130. cll. Dem. §. 142—159.) Aeschines nihil nisi culpam, quam in eum conjecit Demosthenes, a se amovet, belli istius semina jacta simulans *οὐκ ἐπιδημοῦντος ἐν Μακεδονίᾳ Φιλίππου, ἀλλ' οὐδ' ἐν τῇ Ἑλλάδι παρόντος, ἀλλ' ἐν Σκύθαις, οὕτω μακρὰν ἀπόντος, ὃν αὐτίκα μάλα τολμήσει λέγειν Δημοσθένης, ὡς ἐγὼ ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας ἐπήγαγον* §. 128., quae referri possunt ad verba illa, quae insunt orat. de cor. §. 143. *πόλεμον εἰς τὴν Ἀττικὴν εἰσάγεις, Αἰσχίνη, πόλεμον Ἀμφικτυονικόν.* cll. §. 148. 158 et 159. 163. Demosthenes contra, ut fere ubique, sic etiam h. l. Aeschinis dicta nonnisi obiter respicit, ut §. 149., ubi a veritate desciscens subjungit: *οὐδεμίαν δίκην τῶν Λοκρῶν ἐπαγόντων ἡμῖν οὐδ' ἃ νῦν οὗτος προφασίζεται, λέγων οὐκ ἀληθῆ* cll. Aesch. §. 116—118. Mirum videri potest, quod ad illam criminationem Aeschinis, Demosthenis malis artibus factum esse, ut Athenienses ad extraordinarium illum Amphictyonum conventum legatos non mittere decreverint, (Aesch. §. 126. 127.) nihil hic respondit, praesertim quum non satis appareat, cur hoc iis persuaserit. Sed haec res vel postea inserta est vel memoria Demothenis excidit vel tanquam minoris momenti non digna visa est, cui quid opponeret. Neque enim de tota illa Amphictyonum deliberatione tam fuse tractat, ut omnia lectoribus explanare velle videatur. Ad posteriorem hujus disputationis partem transgrediens Aeschines, ut fere solet Demosthenes, aliena quaedam in istum opprobria fundit, quae tamen eum ad foedus illud a Demosthene cum Thebanis pactum perducunt. §. 137. Sed in ipso hoc loco tractando duo illi oratores in tam varias res discedunt et tam raro alter de alterius argumentatione memorat, ut inde colligi non possit, qualia in priori Demosthenis oratione haec fuerint. Quod dicit Aeschines de Demosth. §. 137. *ὃς — τολμᾷ λέγειν — ὡς ἄρα Θηβαῖοι τὴν συμμαχίαν ὑμῖν ἐποιήσαντο, οὐ διὰ τὸν καιρὸν, οὐ διὰ τὸν φόβον τὸν περιστάντα αὐτοὺς, οὐ διὰ τὴν ὑμετέραν δόξαν, ἀλλὰ διὰ τὰς Δημοσθένους δημηγορίας* (cll. §. 141.) ad totam potius Demosthenis narra-

tionem, quam ad singula quaedam pertinet. Item Dem. de Aesch. §. 238. εἰ δὲ λέγεις ἢ τὰ πρὸς Θηβαίους δίκαια, Αἰσχίνη, ἢ τὰ πρὸς Βυζαντίους ἢ τὰ πρὸς Εὐβοέας[20]) ἢ περὶ τῶν ἴσων νυνὶ διαλέγῃ, ex quibus illud de Thebanis bene convenit cum Aeschineis. Forte fortuna id factum esse negaverim, quod, sicut Demosthenes §. 215. narrat: τρία ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ πᾶσιν ἀνθρώποις ἔδειξαν ἐγκώμια Θηβαῖοι, ita etiam Aeschines tria nefaria scelera Demostheni objicit in illo foedere faciendo. §. 141. sqq., quod eo magis offendit, quum partitio illa neque necessaria (prior enim pars et ipsa in duas dividitur §. 142 et 143.) neque ex rei natura petita esse videatur, ita ut plures de loci istius obscuritate querantur.

Jam vero ubi ad enarrationis historicae finem perventum est, illud mihi primo commemorandum esse videtur, quod Aeschines narrat Demosthenem ea absoluta ex se quaesiturum esse §. 55. ταῦτα δὲ καταριθμησάμενος, ὥς ἀκούω, μέλλει με παρακαλεῖν καὶ ἐπερωτᾶν, ὁποίου τούτων τῶν τεττάρων αὐτοῦ καιρῶν κατηγορῶ, καὶ πότε αὐτὸν οὐ τὰ βέλτιστά φημι τῷ δήμῳ πεπολιτεῦσθαι. Nihil enim tale apud Demosth. invenitur, neque ei simile, quod sequitur: κἂν μὴ θέλω ἀποκρίνασθαι, ἀλλ' ἐγκαλύπτωμαι καὶ ἀποδιδράσκω, ἐκκαλύψειν μέ φησι προσελθὼν, καὶ ἄξειν ἐπὶ τὸ βῆμα καὶ ἀναγκάσειν ἀποκρίνασθαι. Immo vero Demosth. re plane inversa: εἶτα μ' ἐρωτᾷς, inquit, ἀντὶ ποίας ἀρετῆς ἀξιῶ τιμᾶσθαι; ἐγὼ δή σοι λέγω etc. §. 297. cll. Aesch. §. 230.

Praeter ea autem, quae jam supra monuimus apud Demosth. omissa esse, nonnulla alia etiam ut ab illo proposita laudat Aeschines, quae nusquam ibi leguntur. Primum enim se ab eo Sirenibus comparari dicit §. 228., quae auditores non alliciant, sed perdant, qua similitudine nihil se gravius ferre. Quae res hanc in me suspicionem movit, Demosthenem in recitata ista oratione plura etiam protulisse de eloquentia Aeschinis ejusque perniciosa vi atque auctoritate, ex quibus tamen nihil in nostram orationem transiit. Nam in universum non omnino eundem orationis fuisse animum atque spiritum in ea, qua causam egit Demosth. apud judices, oratione atque in ea, quam litteris mandavit, nemo mirabitur, quum alia res sit ante caussam tanti momenti dijudicatam atque post victoriam reportatam loqui. Nam non solum judicium suum de Aeschinis dicendi vi, quem, si ab externis oratoris virtutibus discesseris, ubique tanquam malum atque contemnendum oratorem despicit atque irridet,[21]) plane mutavit, verum etiam suae ipsius orationis sonum non omnino retinuit atque servavit. Quod enim Aeschines de ejus lacrymis atque de lamentabili voce praedicat §. 207.

[20]) De Euboeensibus cf. Aesch. §. 85.

[21]) §. 242. Verbum: ἡ δεινότης ironice interpretandum esse censeo.

